20

EPISTOLA

Ad quemdam Sacræ Theologiæ BACCALAUREUM

CONTINENS

EXPLICATIONES THESEOS

AD MENTEM

S. AUGUSTINI

DE QUA LIBELLUS, CUI TITULUS:

LETTRE A VN DOCTEVR DE DOVAY, &c.

A B

APPROBATORIBUS DUACENSIBUS MISSAS,

Et ab Authore Libelli ſuppreſſas.

M. DC. XCI.

DOCTISSIME DOMINE BACCALAUREE.

Quod Duacenſes, qui approbaſſe feruntur Theſim , de qua in libello, cui titulus *Lettre à un Docteur de Douay ſur les affaires de ſon Univerſité*, damnare non audes, indictâ cauſâ, quodque illis alteram aurem ſervas, æquum, & te dignum facis. Verùm dum objectiones adversùs eos cumulas, ita te video commotum, ut admodùm parum abſit, quin tui propoſiti oblitus præcipiti judicio etiam inauditos condemnes. Reprime, quæſo, tantiſper juvenilem hunc impetum. Primum miraris tam ingenti probro laceſſitos tam altum uſque huc tenere ſilentium : non immerito id quidem: Ego verò id miror eò magis, quòd ſciam non eſſe armorum inopes, quibus ſe tueantur. Quid igitur? An fortè conſcientiæ ſuæ teſtimonium, quo ſe inſontes agnoſcunt, ſatis ſibi eſſe putant, memores ejus quod dicit Auguſtinus: *Senti de Auguſtino, quidquid libet, ſola me in oculis Dei conſcientia non accuſat?* At meminiſſe etiam oportuit hujus ejuſdem Auguſtini ſententiæ : *Conſcientia noſtra nobis: fama proximo neceſſaria eſt*, nè famam adeò neceſſariam obtrectatoribus & credulæ plebi lacerandam relinquerent. An ſatis quòd pleriſque jam nota ſunt in Academia Duacena, quæ in ſui defenſionem offerunt? An nonnè æquum eſt, ut cùm tam latè ſparſum ſit obtrectationis venenum, latè ſpargatur & antidotum? Non diffiteor. poſteaquam jam lippis etiam (quod aiunt) & tonſoribus fraus nefaria & omnibus retrò ſæculis inaudita quâ ſceleſtus Impoſtor incautos per Theſim doloſè compoſitam Seminario Mechlinienſi affictam, perque innumera mendacia in naſſam illicere conatus eſt, multum deferbuit iſte initio concitatior adversùs eos animorum impetus. Verùm ideo nunc tempus oportunum, quo conveniret, ut, velut atrâ nube diſcuſsâ, innocentiam ſuam palam facerent. Quid cunctantur ? Quin edunt explicationes Theſeos à ſe miſſas, & ab Authore libelli maligni ſuppreſſas ? Quæ certè ſunt ejuſmodi, ut cùm à pluribus viſæ ſint, nemo unus inventus ſit, qui eas ut minùs Catholicas fuerit auſus reprehendere. Sed quid ultrà diſſimulem? Novi cur ſileant; probè novi cur, quas in promptu habent & multi viderunt, elucidationes nondum vulgaverint. Non inficiabor tamen eorum rationes mihi non uſquequaque probari : me quidem movere nihil debent. Dabunt, ſpero, veniam ſi moræ impatiens falcem ego mitto in meſſem eorum. Ad hoc impellit veritatis amor, odium iniquiſſimæ fraudis, zelus animarum, quibus perdendis in-

hiabat

hiabat primarius doli artifex dæmon, dum non modò Profeſſores benè Catholicos, purioris Ethicæ amantes & laxa morum dogmata peroſos, verùm etiam religioſiſſimos ac zeloſiſſimos Paſtores in ſuſpicionem Hæreſeos adducere molitus eſt. Vix teneor, quin proferam exempla Epiſtolarum, quas conſcripſit Impoſtor; cum enim illa ad plurium, tum ad manus meas venerunt. Quam ſtuperes! Sed hæc aliàs. Unum id mihi propoſitum nunc eſt, Approbatorum Duacenſium innocentiam tibi ob oculos ponere, & quidquid adversùs eam objicitur diluere. Quod mihi rem omnem & ſenſum ipſorum accuratè edocto haud difficilè factu fuerit, & ex ipſis quidem eorum ſcriptis, ut non tam à me quàm ab ipſis hæc juſtificatio profecta videri debeat.

1. Scias velim dictos Approbatores Theſim non approbaſſe, niſi datis explicationibus, ex quibus patere poſſit, quo ſenſu eam acciperent. Miſſa autem fuit approbatio Viro ornatiſſimo (verum is non fuit quem crediderunt) multis contra Hæreſes triumphis illuſtri, quique jam recens perniciosam de peccato philoſophico doctrinam debellârat Sanctè is pollicebatur, non aliis, niſi ipſorum permiſſu, oſtendendam eſſe, præterquam iis, quibus explicationes exhibitæ fuerant, eam enixè petens, ut à graviori cenſura, quam Moliniſtarum ſuaſu parare dicebatur Archiepiſcopus Mechlinienſis, dictam Theſim vendicaret multis jam Approbationibus fultam, ut aſſerebat. Ipſi interim niſi explicatam probare noluerunt.

2. Nè id fictum videatur, hæc ſunt verba miſſæ ad eos epiſtolæ cujus exemplum habeo & autographum vidi: *Les approbations de nos Meſſieurs de Douay ont été d'un merveilleux ſecours pour la Theſe en queſtion: mais leur explication & leur éclairciſſement n'a pas été bien recû, parceque l'on à crû qu'ils vouloient faire la leçon, & qu'ils ſembloient ſuppoſer que les juges n'avoient point aſſé de lumiere pour en penetrer tout le ſens*

Si adverſarii non has eſſe dixerint explicationes, quas ſubjungo, ſed alias; provoco, ut proferant: non poterunt illis deeſſe, quibus cætera non deſunt. Graviter autem cum iis expoſtulandum, quod, cum agnoverint quô eam Theſim ſenſu fuerint interpretati, tamen movendæ invidiæ causâ, eas explicationes ſuppreſſerint. An hoc Chriſtianæ charitati, & ipſi naturali æquitati ſatis conſentaneum ſit, aliorum eſto judicium.

3. Theſis inſcribitur *ad mentem S. Auguſtini*, ideoque expreſſiones ex Auguſtino deprompτæ videntur juxta ejus mentem ac ſenſum poſſe accipi.

4. Duriores, quas hic contineri non negabunt Approbatores Duacenſes, expreſſiones non ipſi uſurpaverunt, ſed ab alio uſurpatas benignè fuerunt interpretati.

5. Si quæ damnata propoſitio inferri poſſe videatur ex quadam Theſi approbata, dum eam conſequentiam negant Approbatores, non poſſunt hi doctrinæ damnatæ argui. Nam ſunt, qui planè exiſtiment, ex præmotione phyſica ad ſubſtantiam actus eſſentialiter mali ſequi Deum eſſe auctorem peccati; quia tamen hanc conſequentiam negant Thomiſtæ, nemo dicere auſit eos, qui præmotionem ita univerſaliter tuentur, docere iſtam de Deo blaſphemiam.

6. Non crediderim ipſos eam de ſe habere opinionem, ut putent ſe in hujus

Theſis

Theſis intellectu decipi non potuiſſe. Si quid autem minùs intellexerint, & eô ſenſu eas Concluſiones accipi oporteat, ut damnata contineant dogmata, non dubium, quin eo damnent & damnaturi fuerint planè ipſam Theſim, ſi non aliô ſenſu accipi poſſe crediddiſſent. Ut autem benignæ interpretationi locus fuiſſe videatur, hæ ſunt explicationes ab Approbatoribus datæ.

EXPLICATIONES A DENUNTIATORE OMISSÆ, CUIQUE CONCLUSIONI SUBJUNCTÆ.

INSCRIBEBANTUR THESES *ad mentem* D. Auguſtini *irrefragabilis gratiæ Doctoris.*

THESIS PRIMA.

GRatiam efficacem nec ſemper, nec omnibus dari probat omnium Theologorum conſenſus & quotidiana tot peccatorum experientia. Illam neceſſariam eſſe, ut quis verè & propriè poſſit opera bona exercere, tentationes ſuperare &c. fatetur, quiſquis in Traditione Eccleſiæ, in Auguſtino aliiſque ſanctis Patribus peregrinus non eſt.

JUDICIUM.

HÆc Theſis, quâ dicitur gratiam efficacem neceſſariam eſſe, ut quis verè & propriè poſſit opera bona exercere, doctrinam continet Auguſtinianam & Evangelicam, intelligendo de potentia complectente omnia neceſſaria ad agendum. Ita accipit Auguſtinus loquens de Petro: *Putabat ſe poſſe, quod ſe velle ſentiebat.* Lib. de grat. & lib. arb. Ita Chriſtus in Evangelio Joannis cap 15. *Sine me nihil poteſtis facere:* ſine me, utique operante velle & perficere.

SECUNDA.

IGitur qui gratiam aliquam ſufficientem ab efficaci diſtinctam in hunc amiſſæ innocentiæ ſtatum invehunt, mirum quantum ab Auguſtini mente deficiunt, qui naturæ integræ gratiam ſufficientem tantùm lapſæ verò efficacem tantùm attribuit. Hæc ſi indubitata Auguſtini principia vel minimum concutias, tota cæleſtis illius doctrinæ compages ſolvatur neceſſe eſt.

JUDICIUM

DOctrina eſt verè Auguſtiniana, rejiciens pro ſtatu naturæ lapſæ gratiam ſufficientem Moliniſticam, de qua intelligi hanc ſecundam Theſim patet ex tertia. De ea ſic Eſtius noſter in cap. 3. Apoc. verſ. 20. *Quam gratiam ſana doctrina non recipit.* Vide Cenſuram Duacenſem ad Aſſertionem ſecundam.

TERTIA.

ATquid de gratia ſufficiente ſenſu Thomiſtico? Minus diſplicet, quia, niſi velis hallucinari, particulam includit alienantem, & nebuloſo tempore occulendis gratiæ Evangelicæ myſteriis eſt peridonea. Interim cùm vox illa & res voce expreſſa Auguſtino & purioribus Eccleſiæ ſæculis ignota fuerit, illam meritò ex ſana Theologia relegandam judicamus.

J U D I C I U M.

PRrorsùs optandum foret, ut ly *ſufficiens* nunquam iſto ſignificatu in Scholas inductum fuiſſet, quô multi utuntur Thomiſtæ, quia reverà aliud exprimere videtur, quàm ipſi ſignificare velint. Tametſi enim ſufficiens dici poſſit ad poſſe aliquod propinquius, quàm eſt poſſe naturæ, tamen reverà ad agendum ſola non ſufficit. Unde meliùs Cenſura noſtra Duacenſis ad aſſertionem ſecundam ſufficiens auxilium dicit eſſe illud, præter quod ex parte Dei non eſt aliud neceſſarium, & confundit cum gratia efficaci. Hinc bene dicit Theſis, quòd notio gratiæ ſufficientis, etiam ſenſu Thomiſtico, ignota fuerit Auguſtino & purioribus Eccleſiæ ſæculis ad ſalvandam libertatem utpote non neceſſaria: tametſi fatendũ ſit eam nihil officere veritati, dummodò Molinianâ ſignificatione omninò exuatur.

Q U A R T A.

P*Eccatum Philoſophicum infelix radix eſt, in depravatæ Ethicæ ſeminariis pridem occultè adoleſcens; mox ubi erupit, vaticana ſenſit fulmina, variique errores infallibili connexione cum deteſtando illo dogmate concatenati, quaſi ſurculi in radice, eodem ictu protriti ſunt.*

J U D I C I U M.

HUic Theſi neminem eſſe opinamur, qui refragari poſſit.

Q U I N T A.

H*Æc eſt damnata propoſitio:* Peccatum Philoſophicum in eo, qui Deum ignorat, non eſt offenſa Dei; *pergo ulteriùs: ſi offenditur Deus qui ignoratur, non excuſat ergo à peccato ignorantia; adeoque tot ſtudiis & contentionibus agitata quæſtio Pontifi io oraculo manet deciſa videlicet quòd nulla ignorantia, ſaltem in juræ naturæ, excuſet à peccato*

J U D I C I U M.

DOctrina aſſerens nullam ignorantiam juris naturæ excuſare à peccato, uti non excuſat in peccato quod vocant Philoſophicum, eſt ſana, nec obſcurè tradita à SS. Auguſtino, Bernardo, Thomâ & pluribus antiquis ac melioris notæ Theologis.

S E X T A.

S*Ed quomodo cum illa peccati Philoſophici Cenſura conciliari poteſt bicornis voluntatis indifferentia & Ariſtotelicæ libertatis definitio: libertas eſt* potentia, quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt agere & non agere: *cùm utique non poſſit tam vitari, quàm non vitari id quod ignoratur? Cave ad ſenſum diviſum & compoſitum, aut ad indifferentiam judicii confugias vana enim ſunt illa neotericorum effugia, declinandis Semipelagianorum terriculamentis malè adinventa. Satius igitur nobis videtur, & Sancti Auguſtini principiis conformius, ejuſmodi libertatem in flexibili ad libitum voluntatis indifferentia, & in expedita ad utrumlibet potentia conſiſtentem poſt peccatum Adæ prorsùs rejicere.*

JUDI-

JUDICIUM.

NEgat hæc Theſis ad libertatem in hoc ſtatu requiri bicornem illam ad utrumlibet indifferentiam, nempè, ut loquitur, expeditam, quâ animus in bonum æquè ac in malum ſe flectere poſſit, quaſi ſemper habeat receptam & ſuo nutui obſecundantem gratiam, ac meritò id negat, cum in ignorante Deum apertè illa deſit. Neque putamus neceſſarium confugere ad ſenſum compoſitum & diviſum, neque ad indifferentiam judicii, cum abſque iſtis Beatus Auguſtinus, & Duce Auguſtino Eccleſia, omnia adverſariorum tela retuderet, & concordiam libertatis cum gratia plenè defenderit.

SEPTIMA.

INferes illicò neceſſitatem induci in actiones humanas. Apage inania illa conſectaria centies ex famoſis quinque Propoſitionibus perperam accerſita, & centies exploſa. Neceſſitatem quidem naturæ & immutabilitatis in hoc viatoris ſtatu abhorremus: aliam verò quamlibet neceſſitatem nihil eſt quod reformidemus, Duce Auguſtino de civitate Dei lib 5. capite decimo: Si autem definitur neceſſitas, ſecundùm quam dicitur neceſſe eſt ut ita ſit aliquid vel ita fiat, neſcio cur timeamus, nè nobis auferat libertatem. *Hanc neceſſitatis cum libertate concordiam deinceps agnoſcet, quiſquis catholicè ſentiet, & peſtiferam peccati Philoſophici doctrinam ſeriò ejurabit.*

JUDICIUM.

HÆc theſis quàm juſtè abhorret neceſſitatem naturæ & immutabilitatis tanquam libertati exitioſam, tam meritò admittit alias neceſſitates ut libertati nihil officientes, quales ſunt illæ, quas vocant ſcholaſtici infallibilitatis conſequentiæ ex hypotheſi &c. qualem admittit Innocentius I. ad Concilium Carthaginenſe dum dicit: *Neceſſe eſt ut quo auxiliante vincimus, eodem rurſus non auxiliante vincamur.*

Has proinde theſes ſic intellectas, prout etiam intelligi debere credimus ab omnibus, qui in doctrina Auguſtini non planè ſunt hoſpites, judicamus doctrinam ſanam & irreprehenſibilem continere.

Elucidatio circa difficultates præcipuas, quæ ex hujus theſis approbatione moventur.

AD PRIMAM CONCLUSIONEM.

DIfficultas movetur circa primam propoſitionem, quâ dicitur gratiam efficacem neceſſariam eſſe, ut quis verè & propriè poſſit opera bona exercere. Hinc enim ſequi videtur, præcepta Dei eſſe impoſſibilia homini gratia efficaci deſtituto. Reſpondetur, hanc concluſionem eos probaſſe relativè ad mentem Sancti Auguſtini, & poſteaquam de ſenſu eorũ conſtabat per explicationem datam. Ex ea autem concluſione non magis inferri poteſt impoſſibilitas præceptorum Dei,

quàm

quàm ex loco Auguſtini ab ipſis citato inferri poſſit, impoſſibile fuiſſe Petro in ædibus Caiphæ confiteri Chriſtum. Sanè vel ex illa una Auguſtini ſententia, quam Tridentinum ſuam fecit, *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet facere quod poſſis, & petere quod non poſſis*, evidens eſt quàm non idem ſint, non poſſe & impoſſibile eſſe. Patet id quoque ex celebri Cenſurâ Duacenſi ad aſſertionem tertiam; ubi relatâ quam proximè citavi, Auguſtini ſententiâ, ſubjungit: *Si autem petentes quidam nondum poſſunt, quantò minùs poſſunt non petentes, imo nec petere volentes, nec eum, à quo petatur, agnoſcentes? Nec ob id putandum eſt aliquid impoſſibile juberi.* Nempe Auguſtino pluribus locis *propriè poſſe* eſt quod omnia ad agendum neceſſaria complectitur, inter quæ eſt gratia per ſe efficax. At verò impoſſibile non illud tantùm *poſſe* removet, ſed omne aliud, quo ſalvari poſſit præceptorum Dei poſſibilitas, quale eſt in primis poſſe aliquod ſupernaturale dictum à Scholaſticis actus primus, qui eſt à ſecundo ſeparabilis. At inſiſtes: certè hoc tempore quo uſitatius eſt ut verè & propriè poſſe dicantur, qui gratiam efficacem non habent, prima iſta Concluſio benignâ interpretatione in bonum ſenſum accipi non debuit. Verùm nonne potuit? Quid aliud egit S. Facultas, dum in doctrina tot laudibus celebratæ Cenſuræ ſuæ perſeverare ſe profeſſa eſt? An verò id profiteri potuit, & non benignè interpretari iſtud poſſe eodem modo ab ea uſurpatum? Certè quod in Auguſtino & in Cenſura iſta, in qua jam aliquot abhinc annis Romæ igni examinata non eſt inventa iniquitas, Catholicum eſt, Hæreticum dici non poſſe videtur in eo, qui cum ipſa ad mentem S. Auguſtini eodem ſenſu eandem phraſim uſurpat, aut ita uſurpantem benignè explicat.

Urgebis: Si verò & nunc uſitatiori ſenſu admittendum verum aliquod & propriè dictum poſſe abſente gratia efficaci, quod non diffitentur: quomodo non iſti propoſitioni contraria hæc, quâ dicitur gratia efficax neceſſaria ad verum & propriè dictum poſſe? Reſpondeo hæc non eſſe magis inter ſe pugnantia, quam ſi dixeris: peccatum veniale eſt contra Legem Dei: & peccatum veniale non eſt, ad mentem D. Thomæ, contra Legem Dei, ſed præter. Siquidem uti terminus *contra* hic non uno ſenſu accipitur, ita non eodem ſenſu accipitur vox *poſſe*. Nam ſi dicunt non eſſe neceſſariam gratiam efficacem ad verum poſſe, non jam id intelligunt de *poſſe* ad mentem S. Auguſtini, *poſſe*, inquam, omnia ad agendum neceſſaria complectente, ſed de alio, quod in juſtis volentibus & conantibus completum etiam dici poteſt, in quantum ex parte actûs primi nihil aliud ad agendum requiritur.

AD SECUNDAM CONCLUSIONEM.

SUfficientem gratiam interpretati ſunt Molinianam, quam tribuunt Auguſtini Diſcipuli homini integro, dictam Auguſtino adjutorium ſine quo non, illi ſimilem, quam tranſtulit Molina ad amiſſæ etiam innocentiæ ſtatum. Quod verò Theſis præterea ſignificat tantùm gratiam efficacem naturæ lapſæ attribuendam, ſanè intelligi id poteſt; nam quia gratia per ſe efficax eſt prorſus neceſſaria in hoc ſtatu, gratia ſufficiens prius deſcripta (qualis ſola dabatur in ſtatu innocentiæ,

centiæ,ac data fuerat Angelis in ſententia diſcipulorum S. Auguſtini) nunc non eſſet ſufficiens juxta hunc S. Auguſtini diſcurſum: *ſi in tanta infirmitate vitæ bujus*, ait de corrept & gratia cap. 12. *ipſis* (hominibus) *relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate ſuâ voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut poſſent.* Deinde etiam ex Thomiſtarum communi ſententia, omnis gratia in hoc ſtatu eſt per ſe efficax, nimirum comparatione factâ ad actum proximum ad quem ordinatur ex Dei abſoluta voluntate, quod non impedit, quo minùs detur gratia interior in hoc ſtatu naturæ lapſæ, cum gratia ad unum actum efficax ſæpè ſit inefficax & excitans tantùm reſpectu actus ulterioris, ad quem ſuâpte naturâ tendit, & ex Dei quâdam voluntate antecedente ordinatur. Unde intellexerunt illud *tantùm* non afficere ly *efficatem* ſed ly *attribuit*.

Nec obſcurum eſt particulam *tantum* non excludere eam quæ ſimul eſt inefficax & ſolùm excitans reſpectu alicujus effectus, ſed excludere dumtaxat gratiam ſufficientem Molinianam; nam gratia ſufficiens ſimpliciter dicta, & diſtincta ab efficaci, alia intelligi non potuit ab Authore Theſeos, qui concluſione tertiâ negat gratiam Thomiſticè ſufficientem eſſe verè ſufficientem, dum dicit ly, *Thomiſtico ſenſu*, eſſe particulam alienantem reſpectu termini *ſufficiens*. Itaque iſta aſſertio ſecundæ Theſeos: *Auguſtinus naturæ integræ gratiam ſufficientem tantùm: lapſæ verò gratiam efficacem tantùm attribuit*, idem valet, quod hæc: ſecundùm Auguſtinum in natura integra omnis gratia erat ſufficiens Moliniſticè, & nulla erat efficax: in natura lapſa omnis eſt efficax, & nulla Moliniſticè ſufficiens.

Occlamabis: dici non poteſt omnem gratiam in hoc ſtatu eſſe efficacem, nullam ſufficientem, ut dicit Theſis; non patitur hæc concluſio ſenſum bonum, citra crimen excuſari non potuit. Bona verba, quæſo. An non ad veritatem enuntiationis complexæ ſufficit veritas utriuſque partis principalis? Utram hic partem ita falſam putas, ut citra crimen in vero ſenſu accipi non potuerit? An hanc: omnis gratia in hoc ſtatu eſt efficax? At excuſavit ſic loquentes Cardinalis Lauræa & verum ſenſum attulit opuſc. 3. num 571. eum nempe, quo Thomiſtæ dicunt omnem gratiam reſpectu effectus immediati efficacem eſſe. Supereſt, ut, cum hanc non poſſis, alteram complexæ partem velut falſam & intollerabilem damnes. Ergonè Thomiſticam doctrinam ejurabis, quæ id ipſum aſſerit, quod iſta altera pars, nullam in hoc ſtatu gratiam dari Moliniſticè ſufficientem, de qua Theſim intelligi debere jam ante demonſtratum eſt.

AD TERTIAM CONCLUSIONEM.

DIfficultatem parit, quòd Theſis gratiam Thomiſticô ſenſu ſufficientem ſibi aliquantùm ſaltem diſplicere non obſcurè indicat.

Reſpondetur, quô ſenſu diſplicere potuerit, patet ex judicio de hac concluſione; certum eſt autem, eos gratiam Thomiſticô ſenſu ſufficientem ſincerè admittere.

Dum verò dicit Theſis, particulam *Thomiſticè ſenſu* eſſe alienantem, non ita intelligunt, quaſi non verè ſufficiat ad actum primum: ſed quia ad actum ſecundum ſola non ſufficit, cùm tamen ly *ſufficiens* abſque addito etiam hanc ſufficientiam ſignificare videatur. Ita benignè interpretati ſunt ſic loquentem, quia non videntur damnandi, qui eam quam vocamus gratiam ſufficientem, gratiam excitantem vocare malunt. Eandem autem eſſe gratiam excitantem cum gratia Thomiſticè ſufficienti teſtis eſt Alvarez diſputatione 76. numero 5. *Gratia excitans*, inquit, *ut complectitur non ſolùm illuminationem externam & internam intellectûs, ſed etiam motionem ſupernaturalem receptam in voluntate, idem eſt realiter quod gratia ſufficiens comparatione effectûs ad quem excitat: ut ſi excitet ad credendum, erit gratia ſufficiens comparatione actûs fide, ſi excitet ad diligendum Deum ſuper omnia, erit gratia ſufficiens reſpectu actûs dilectionis Dei.*

Sed hinc videtur major emergere difficultas adversùs Theſim, cùm dicat non tantùm vocem, ſed etiam rem voce expreſſam ignotam fuiſſe Auguſtino An ergo illi ignota fuit gratia excitans?

Reſpondetur: Theſim ita interpretatos, non quaſi ignota Auguſtino fuerit gratia excitans, ſed quia illi ignota fuiſſe videtur ſub conceptu ſufficientis. Sic dum dicit Auguſtinus libro 8. confeſſionum cap. 12. *Voluntas nova, quæ mihi eſſe cæperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem Deus, nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam*, gratia bonæ iſtius voluntatis, cui reſiſtebat Auguſtinus (de quo vide caput 20 & 21. ejuſdem lib.) gratia erat excitans, nec tamen agnita ſub conceptu ſufficientis, ſed ſub conceptu inſufficientis Atque ut hujus difficultatis enodationem diſtinctione uſitatâ clariorem reddam, dum dicit Theſis rem fuiſſe ignotam Auguſtino, id intelligunt formaliter: id eſt ignotum fuit Auguſtino materiale ſignificatum vocis *gratia Thomiſticè ſufficiens* ſub ratione formali ſufficientis: fatentur autem rem voce expreſſam, ſecundum materiale ſaltem, nullatenùs ignotam fuiſſe Auguſtino. Non eſt igitur par ratio hujus vocis *ſufficiens*, & quarumdam aliarum, quas non uſurparunt antiqui, ex. g. vocis *tranſubſtantiatio*: nam res hac voce expreſſa antiquis tam ſecundùm formale quàm ſecundùm materiale nota fuit. Non eſt autem mirum, quòd formale ſignificatum vocis *ſufficiens* ſive ſufficientiam non attribuerint Patres gratiæ ſolùm excitanti, quia ſufficientiam gratiæ nunquam comparârunt ad actum primum, ſed ſemper ad actum ſecundum. Quòd ſi quis ita intelligat Theſim, ut gratia excitans, quæ reipsâ eſt gratia ſufficiens, prorsùs ignota fuerit Auguſtino non formaliter tantùm, ſed etiam materialiter, in eo ſenſu iſtam Theſim omninò damnabunt. Quia verò uſus, quem penes arbitrium eſt & jus & norma loquendi, apud Theologos obtinuit, ut gratia excitans ſufficiens vocetur, quia ſufficit ad actum primum, lubenter admittent gratiam ſufficientem *ſenſu Thomiſticò* juxta hunc uſum Theologorum, eſſe verè ſufficientem.

AD QUINTAM CONCLUSIONEM.

Difficultas moveri poteſt circa conſequentiam, quâ ex damnato peccato Philoſophico infertur juris naturalis ignorantiam nullam excuſare.

Reſpon-

Reſpondetur: ipſis illam conſequentiam non videri legitimam, ſciunt illi qui eorum habent litteras.

AD SEXTAM CONCLUSIONEM.

DIfficultatem facit, quod dicit Theſis: *Cave confugias ad ſenſum compoſitum & diviſum.* Id ita interpretati ſunt, quòd neget hoc neceſſarium eſſe ad conciliandam libertatem cum gratia ſecundùm id eam libertatis, quam habent, qui rejiciunt iſtam definitionem: *Poteſtas ad agendum & non agendum poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis* de qua *Lemos tom.3.lib.3.part.1.tract.2.*cap 3. de definitione libertatis: *Hanc,* inquit *definitionem cum explicatione ſua non ex Auguſtino aut Sanctis Patribus, non ex Magiſtro ſententiarum, S. Thoma, aut Doctore aliquo ex gravioribus, ſed ex Almaino in ſuis moralibus didicerunt recentiores*. adeoque eam rejicientes non indigent confugere ad ſenſum compoſitum & diviſum, ut explicent illud *poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis.* Non negabunt autem utile, imò neceſſarium putabunt confugere ad ſenſum compoſitum & diviſum ad tuendam definitionem iſtam libertatis nunc communiùs receptam, quam & ipſi non rejiciunt: *Poteſtas ad agendum & non agendum poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis* Dici enim debet in ſententia de gratia per ſe efficaci, quòd ea definitio intelligenda ſit in ſenſu diviſo, non autem in ſenſu compoſito.

Difficultas altera eſt, quod dicit Theſis: *Cave, confugias ad ſenſum compoſitum & diviſum, aut indifferentiam judicii.*

Reſpondetur, ideo id dici potuiſſe, quia quamvis admittenda ſit vera indifferentia judicii, tamen illa ſalvare non poteſt æquilibrem illam, de qua Theſis agit, indifferentiam voluntatis. Agi autem de illa patet ex his verbis Theſeos: *cum non poſſit tam vitari, quàm non vitari quod ignoratur:* quaſi diceret, non haberi potentiam æquè expeditam & inſtructam ad vitandum peccatum, quàm eſt expedita ad non vitandum. Talis enim æquè inſtructa poteſtas non habetur in peccante eo peccato quod dicebatur Philoſophicum.

Patet ex reſtrictionibus in hac Concluſione ſexta adhibitis, & in judicio eorum explicatis, ipſos admittere libertatem indifferentiæ voluntatis ad utrumlibet, quæ libertas eſt non tantùm à coactione, ſed etiam à neceſſitate, quæ iſti libertati opponitur. Quam certè profitentur, & dicunt cum celebri Cenſura ſua Duacenſi ad aſſertionem 19. *Manſit in homine poſt peccatum naturalis arbitrii facultas & ad bonum & malum flexibilis; nam ſi ad bonum flecti non poſſet,* ut pergit Cenſura, *numquam ſe Deo adjuvante ad bonum inflecteret.*

Objicies malè ipſos in judicio ſuo reſtrinxiſſe indifferentiam expeditam, ita ut aliquo ſenſu negari poſſit illam ad libertatem requiri.

Reſpondetur, eos ita illam potuiſſe intelligere. præſertim cùm Auctor Theſeos præfatus ſit Theſim ſe dare ad mentem D. Auguſtini, qui diſertè profitetur propter contracta ex peccato animæ vulnera non parum impediri potentiam à proſecutione boni. En illius verba Lib 2 de peccatorum meritis cap. 17. *Ignorantia & infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum* Enimverò negari non poteſt, quin magna ad peccandum pronitas proſecutionem boni reddat homini admodùm difficilem.

AD

AD SEPTIMAM CONCLUSIONEM.

DUm dicit Author Theſeos: ***Hanc neceſſitatis cum libertate concordiam deinceps agnoſcet, quiſquis Catholicè ſentiet, & peſtiferam de peccato Philoſophico doctrinam ſeriò ejurabit***; non aliud intendere crediderunt, quàm agnoſcendam alicujus neceſſitatis cum libertate concordiam, ejus nimirum quæ vocatur ex hypotheſi: nam in hypotheſi ignorantiæ vincibilis, qualis eſt ignorantia Dei in committente peccatum quod dicebatur philoſophicum, ita loquitur Auguſtinus Lib. 1. operis imperfecti adverſus Julianum cap. 176. ***Neceſſe eſt ut peccet à quo ignoratur juſtitia.*** Et ejuſmodi quidem neceſſitatis cum libertate concordiam unanimi conſenſu admittunt Theologi.

C O N C L U S I O.

ATque ex his confido fore ut tibi, Doctiſſime D. Baccalauree, & cuilibet Theologicarum rerum non rudi & à malis animi affectibus libero perſpicuum evadat, eos Catholicè ſentire, à damnatis quinque famoſis propoſitionibus ſenſum ipſorum abhorrere, ac denique ſi (quod modo conſtat) abſconderunt adverſarii laqueum ipſis in Theſi, non Mechliniæ defenſâ, ſed doloſè ad eos fallendum compoſitâ, laqueum item in aliis fraudibus innumeris, ipſos interim veritate explicationum ſuarum, tamquam ſcuto circumdatos meritò ſperare in adjutorio altiſſimi ſe liberandos à laqueo venantium, & à verbo aſpero cenſuræ, quâ quidem ſenſus eorum ac doctrina feriatur. Quam meritò id ſperent vel ex hâc miſsâ ad eos Epiſtola hujus ſcripti doctrinam approbante ſatis liquebit.

E P I S T O L A   A P P R O B A T O R I A.

TAndem apertum eſt quod latebat, erupit Vitus, detecta eſt fraus, didicimuſque Theſim nullam Mechliniæ editam, ſed ab impoſtore confictam eſſe. Semper mihi ſuſpecta fuit Theſis illa, ſed maximè poſtquam mihi ſcripſiſtis jactari Duaci pluribus illam Lovanii Mechliniæque probari, cum tamen nulla illius his in partibus mentio fieret. Ægrè admodum ulli Diſcipulorum S. Auguſtini audebam eam adſcribere, in qua tot elati præcipitiſque animi ſpecimina notabam, adeò ut indiſcreti cujuſdam zeli fœtus, magis oſtentando ingenio, quam aſſerendæ veritati in lucem protruſus videretur.

Deſideriis veſtris obſecutus ſum, Collegarum noſtrorum præcipuis, quibus ante Theſes cum ſubjuncto judicio veſtro prælegeram, exhibui poſteriores elucidationes veſtras, qui diverſum planè judicium de Theſibus ipſis veſtrâque cenſurâ tulerunt. Improbabant enim in Theſibus ſupercilium illud; quo liberius quam privatum decet, fratrum ſuorum fidei dominari, inter Diſcipulos SS. Auguſtini & Thomæ diſſidia ſerere, receptiſque apud pleroſque Phraſibus refragari videbatur Theſis Author, ſed non ideò minus veſtram in illis omnibus temperandis explicandiſque modeſtiam commendabant. In eodem quoque nunc judicio perſiſtunt. hoc præcipuè ſpectantes, neceſſarium planè fuiſſe Propoſitionum oblatarum ſenſus Catholicos proferre, cum de iis cenſurandis cogitabatur. Ita ſanè compoſiti omnes ſumus, ut ſi de iis primum edendis, exquireretur judicium noſtrum, cenſeremus eas eſſe ſupprimendas; at ſi de Theſium jam vulgatarum prohibitione ageretur, faceremus quod vos feciſtis; alia enim primæ editionis, alia eſt cauſa, cum de prohibitione agitur Theſis jam editæ; cum enim prima Theſis editio impeditur, malum omne in origine ſua præfocatur, ſecuriſque ponitur ad radicem; at cum Theſis ejuſmodi jam vulgata eſt, quæ æquivocationibus plena, ſenſibus contrariis eſt obnoxia, in hoc collimant fideles Eccleſiæ filii, ne Propoſitiones æquivocæ Cenſuris æquivocis proſcribantur, malumque malo accedat, dum Cenſura Canonica, quæ controverſiarum deberet eſſe finis, fit earumdem copioſius ſeminarium. Ideò cenſuimus vos rem præſtitiſſe Profeſſoribus Orthodoxis dignam, dum audientes ſeptem illis aſſertionibus imminere Cenſuram Archiepiſcopi Mechlinienſis, ſenſus earum ſanos aperuiſtis, ſic nempè ſollicitè providentes, ne quid damni ſana doctrina pateretur, dum Cenſuræ auctores ſic errores configerent Cenſuramque ſuam temperarent, ut vel ſenſum à vobis prolatum exciperent, vel certè ſi magis peccatum eſſe cenſerent in modo loquendi, quam in re ipſa, caſtigatâ ſolâ loquendi libertate, perſtaret illæſa veritas, loquacitatiſque ſuæ juſtas pœnas ſolus aſſertor præceps perſolveret.

Doctrinam veſtram tam in ſingularum Propoſitionum judicio quam in elucidatione poſteriori ſanam cenſuimus & orthodoxam. Optamus ut brevi lucem videat, reſtiſque ſit orbis univerſus tam bene fundatam eſſe fidem veſtram, ut nè per inſidias quidem eam concutere potuerit verſi-pellis impoſtor. Dabam Lovanii 26. Julii 1691.

E. D. V.

Humillimus Devotiſſimuſque Famulus

J. HENNEBEL S. T. D. in Academiâ Lovan